

CIPOTAS 401



# A D A M P L I S S I M O S

## INCLYTAE VRBIS VRATISLAVIAE SENATORES, VIROS NOBILI-

tate generis, virtutibus & sapientia præstan-  
tissimos, Ioannis Cratonis Vratisla-  
uiensis, Proœmium.



MNES qui cum ratione & iudicio prudenti adhibito suos vel aliorum libros edunt, aut publicis commodis seruire, aut nomen suum, ac potius recte faciendi, beneq; de multis promerendi studium, posteritati commendare conantur. Est enim animi liberaliter à natura & doctrina instituti, & virtutem ac decus amantis, aliquid communi hominum societati adiumenti conferre, atque ut id quod consertur, sincerè iudicantium approbatione dignum videatur, expetere. Artifices autem, vt de suis operibus bonorum atque peritorum iudicium libentissime subeunt, deg; eorum sententias meliora facere student, ita non facilè ineptas imperitorum censuras ferunt. Exemplo nobis esse potest celebratus pictor Apelles, qui cum tabulam Veneris à se factam in limine spectandam collocasset, seq; ad eam ita abdidisset, vt prætereuntium iudicia exaudire posset: aequissimo animo tulit, si quis ea quæ intelligere videretur, non valde probaret: sutoris vero temerariam audaciam, illud vulgatum, Ne sutor ultra crepidam, proferens, retudit atque compresbit. Cum autem hoc præsertim sæculo, sutorius istis iudiciis nihil sit atque reperiatur usitatus, & mira vbiique candoris paucitas, nec omnibus vel ea firmitudo, vt contemnere inepta possint, vel animi altitudo, vt temeraria retundere ausint: multi non solum sua, verum etiam aliena continere potius, quam proferre in lucem malunt. Plurimi de propria magis quam de publica utilitate solliciti, illud, λάθε βιώσας, inertie vel innatae inuidentiae praetexunt. Prudentiores vero qui sunt, sorti huic se committere nolunt, quia de industria & fide sua, non tam ex ipsorum voluntatis in publicam utilitatem propensione, quam ex imperita cæcæq; multitudinis libidine, iudicetur. Ego vero etsi non probo κακούς illud scribendi, & hoc quod vulgo sine ratione & modo in diuulgandis libris fit, neque dum meo me pede metior, animo efforor: tamen inuidiae vel obrectationis metu ab eo, quod rectum est, & cum publica multorum utilitate coniunctum, abduci & dimoueri me non patior. Bonorum, qui plerunque & pauci sunt, vero iudicio contentus sum, & illud Galeni nostri teneo: Probari velle ab omnibus perinde esse, ac possessionem omnium opum expetere. Quod vero ad mea scripta attinet, si quis ea vel ut doctus, tanquam rudioribus proposita, non magni faciat, vel ut imperitus, tanquam exilia, contemnat, non magnopere mihi laborandum existimo. Mediocribus ista scripsi.

a 2